

QVR. 263, 14.

XXXV




DECANUS  
COLLEGII THEOLOGICI IN ACADEMIA  
WITTEBERGENSI,  
**JOHANNES ANDREAS**  
**QVENSTEDT, Qvedl.**

SS. THEOL. DOCT. PROFESS. PUBL.  
AC ELECTORALIUM ALUMNORUM  
EPHORUS,  
*LECTURIS* X 2125070  
SALUTEM IN DOMINO JESU!

Typis DANIELIS Schmaß / Acad Typogr.

*Vita Pauli Roeber.*



**U**lm Episcopi munus, sive Inspectio  
Dominici gregis arduum negotium sit, &  
onus, etiam Angelicis humeris formidabile, ut  
inquit Bernhardus, Clavarallensis Abbas, Serm. N.  
de Ascens. & de Persecutionibus cap. 29. *Nihil ergo*  
*in hac vita & maximè hoc tempore difficilis, labo-*  
*riosus & periculosus sit Episcopi aut Presbyteri aut Diaconi officio, ut*  
*ait Augustinus in Epistola ad Valerium Episcop. quæ est CXLVIII.*  
*Tom. II. Oper. Col. 686. Hinc multi sanctissimi Viri & præstantissimi*  
*Theologi Præfecturas Ecclesiasticas recusarunt, vel agrè sese ad*  
*illas trahi passi sunt, perpendentes, quām multa & magna sibi ex*  
*Ecclesiæ gubernatione impenderent pericula: S. Cyprianus de Col-*  
*legâ suo, Cornelio, Romæ Episcopo lib. IV. Epist. 2. sic scribit: Episco-*  
*patum nec possum viri, nec voluit, nec vi (ut ceteri, quos arrogantia &*  
*superbia & tumor inflat) invasit: sed quietus & modestus & quales esse*  
*consueverant, qui ad hunc locum divinitus eliguntur, pro pudore vir-*  
*ginalis continentia, pro humilitate ingenitæ sibi & custoditæ verecundia;*  
*non, ut quidam, vim fecit, ut Episcopus fieret, sed & vim passus est,*  
*ut Episcopatum coactus extiperet. S. Athanasium ab Alexandrino*  
*Alexandro vim inferente, vix tandem, ut thronum (Episcopalem)*  
*susciperet, persuasum esse, Nicephorus tradit Lib. VIII. cap. 44. S.*  
*Basilum, invitum & reluctantem ad Episcopatus solium subiectum*  
*esse, ex vita Ejus constat. Gregor: Nazianzenus in Apologetico se*  
*prolixè excusat, quod Episcopatus declinandi causâ in Pontum fugerit,*  
*& in operationibus suis refert, se latitatem tum à Patre, tum à Basilio*  
*& Nysseno in medium protractum, magis coactum, quām Episcopari*  
*persuasum. Ambrosius, Mediolanensis Præfus de seipso scribit ad*  
*Vercellensem Ecclesiam Tom. III. Oper. Lib. X. Epist. 82. Quām re-*  
*fuscebam ego, ne ordinarer. Et notat Paulinus in vita Ambrosii; quod*  
*cum esset ordinandus, semel atq[ue] iterum fugam meditatus sit. Testantur*  
*quoq[ue] Ruffinus lib. II. Histor. Ecclesiast. cap. XI. Socrates Lib. IV.*  
*cap. 25. & Sozomenus Lib. VI. cap. 24. Eum obluctantem & plurimum*  
*resistentem Episcopum Mediolanensium factum esse, ac simul ba-*  
*ptisma-*

ptismatis divinum donum & Pontificalem suscepisse dignitatem. Chrysostomus fugâ sibi consuluit, ne id opus vel onus assumere cogeretur, ut videre est in Vitâ Ejus. & in libro de Sacerdotio? Synesium Cyrenensem, ne ad Episcopatum eveheretur, miris criminibus semetipsum infamas-  
selegimus in Ejus Epistolâ 57. Augustinum quoq; singulare illud Ecclæsæ lumen, invitum ad Presbyterium raptum esse constat. Cum enim Valerius, Hippoñensium in Africâ Episcopus de providendo & ordi-  
nando Presbytero civitatis plebem alloqveretur & exhortaretur, Sancti quidam viri Augustinum, qui in populo securus & ignarus, qid futurum esset, adstabat, manu injectâ tenuerunt, & Episcopo ordinandum intulerunt, ubertim eo flente, ut refert Posidonius in vita Ejus, Ipseqve non diffitetur in Epistolâ ad Valerium supra allegata, ubi inquit Col. 686.  
Vis mihi facta est, ut secundus locus gubernaculorum mibi traducatur. Eu-  
statium Episcopi, Sacerdotes & populus communi decreto ac consensu ad Antiochenæ Ecclesiæ regimen etiam nolentem veritate compulerunt,  
vide Hist. Eccl. Tripartitæ Lib. II. c. 5. Theodoret. lib. I. c. 7. Ephraim Sy-  
rus urbi cuidam designatus Episcopus insaniæ simulatione effugit. Jam-  
jam enim abducendus, in forum progressus, vestem posse non sat is honeste  
trahens, venalia surripiens, pro palamq; comedens, mentis impos existima-  
tus est, & tentisper, dum aliis Episcopatum susciperet, delituit, ut refert Ni-  
cephorus lib. IX. c. 16. & Sozomenus lib. III. c. 16. Ammonius, monachus,  
ad Episcopatum abducendus, dexteram sibi aurem amputavit, ut mutilo  
corpore ordinationis opus effugeret, lingvam quoq; si vim, qui ad eum  
comprehendendum reversi erant, inferre pergerent, recisurus potius  
quam privato esse non siceret, vide Tripart. Lib. VIII. c. 1. Nicephor. lib.  
XI. c. 37. Socrat. lib. IV. c. 21. Sozom. lib. VII. c. 30. Sed hujusmodi exem-  
plorum historia SS. Patrum plena est. Non defuerunt etiam, qui verba  
Apostoli Jacobi Epist. c. III. v. 1. Ne multi Magistri estore, Fratres mei,  
scientes, quod majus judicium accipietis; ita simpliciter acceperunt, quia si  
munus Doctoris Ecclesiæ non sit facile ambiendum vel suscipiendum,  
cum majori subsint periculo, vel majus judicium, ut hic loquitur Sacer-  
dotum princeps & Apostolorum caput, (sic S. Jacobum Apostolum Pho-  
tius appellat in Bibliothecâ suâ n. 833. referente ipso Lotino Jesuitâ in  
Præfatione super Epistolam Jacobi) accepturi sint Docentes in Ecclesiâ,  
quam Discentes, Doctores, quam Auditores, accuratissimam scil. ratio-  
nem reddituri in magno illo Censorio die, non tantum pro se, sed & pro  
omnibus & singulis curæ suæ commissis, Hebr. XIII. 17. Ezech. III. 18.

qvanquam verbis citatis eos potissimum perstringat, graviusq; judicium  
illis denunciet S. Apostolus, qvi ambitione magis, qvam curâ fraternæ  
salutis impulsi, magisterialem autoritatē vel jūs rigidæ censuræ in alios  
(sive proximos) superciliosâ temeritate sibi arrogant, & usurpant, illorū  
dicta & facta rigidè examinant, vitia asperè exagitant, turpitudinē dete-  
gunt, & infirmitatē exaggerant &c. Prudentis itaq; & circumspecti ho-  
minis est, rei magnitudinē & dignitatem, pericula item, certamina, labo-  
res & difficultates, qvibus persona Episcopi, imò & cujusvis Ecclesiæ mi-  
nistri exposita est, secum ante meditari, qvam hoc animarum regimen  
(qvad artem artium i.e. difficillimam omnium curam vocat Gregorius  
M.lib.1.Pastorak in Proleg.) suscipiat, non ut magnitudine laborum aut  
periculorum, curarumq; multitudine territus spem abjiciat, sed qvò pa-  
rator, instructiorq; ad tantum munus accedat. Nam sicut circumspecta-  
rerum cognitio modestiam solet induere hominum animis, ita imperi-  
tiā nihil ferè audacius est; Uti Romanæ eloquentiæ censor Fabius di-  
cebat; *Indociles fortius dicere, quum irrepident summi Oratores.* Sicut au-  
tem, qvod Gregorii M. effatum est, qvi invitatus renuit, qvesitus refugit,  
sacris altaribus admovendus est, sic qvi ultrò ambit, vel importunè se inge-  
rit, est proculdubio repellendus. Ante omnia igitur ad hanc difficilem, la-  
boriosam & periculofam functionem (Ecclesiasticam intelligo) expe-  
ctet legitimam vocationem futurus Ecclesiæ minister. Dei enim missio  
vel vocatio munus legitimum facit, & qvi à Dœ vocatus non est, rite &  
ordine eo fungi non potest. Auté κλητοὶ ultrò veniunt, & currunt po-  
tius, qvam mittuntur, qvod apud Prophetam Jeremiam cap.XXIII.v.21.  
de Pseudoprophetis Deus pronunciat. *Menonmittente hi Prophetæ cu-  
curreunt, meg̃ ipsos non alloquente prophetarunt.* Qvi igitur currunt  
non vocationi & veniunt non rogati, Pseudoprophetæ sunt & Pseudoapo-  
stoli, qṽs cavendos monet Christus Matth.VII.15. & Paulus 2.Cor.XI.  
12. In venientibus præsumptio temeritatis est, in misis obsequium servitutis,  
ait Hieronymus in Proœm. Matth. confer Augustinum lib.XVI. contra  
Faustum c.12. & lib II.contra Adversar.Legis & Prophet.B.Lutherus in-  
quit Tom.IV.Jen.Lat. fol.7.b. *Non fortunat Deus labore eorum, qui non  
sunt vocationi & qvanquam salutaria quedam afferant, tamen non edificant.*  
Qvi legitimè vocatus est, vocationis suæ in ipsâ functione, licet labo-  
riosâ, difficiili & periculosâ, non sine singulari consolatione recordatur,  
divinam in ea perpendens providentiam, qvâ sibi divinitus, nihil tale  
cogitanti, prospectum est. Culpandi proinde sunt, qvi nec Dei missio-  
nem,

nens, nec Ecclesiæ approbationem expectantes ex proprio iudicio ac pri-  
vato arbitrio Ecclesiasticum munus capessunt, aut id per vim occupant,  
aut pretio emunt, sive hastis, ut dici solet, aureis vel argenteis illud ex-  
pugnant, juxta illud Germanicum; Schmierende Narren/bekommen die  
besten Pfarrer/ aut cognationis vel affinitatis sive conciliatae sive adhuc  
conciliandæ beneficio, seu fraudibꝫ aut emendicatis suffragiis vel quibus-  
cunq; aliis malis artibus se ingerunt ipſi, aut ingeri paſſuntur per alios.  
Uti autem male facit, qui sine vocatione Episcopatum vel munus Eccle-  
siasticum invadit, ita quoq; male facit, qui, quando divinæ vocationis signa  
conspicit, illi pertinaciter reluctatur, & oblatam functionem suscipere de-  
trectat. Gregorius Lib. VI. Ep. 169. inquit; Ex verbis Christi, Simon Jona,  
amas me? pascere oves meas, colligitur, quod is, qui valet, omnipotens Dei oves  
venit pascere, ostendit, se pastorem summum minime amare. Et Augustinus  
Epist. 81. Si quaerat, operam vestram Ecclesia desiderabit, nec elatione avidâ  
suscipiat, nec blandiente desidîa respuatis, sed miti corde obtemperetis Deo.  
Prosper de vita contemplativa lib. III. c. 28. inquit; Contra justitiam faciunt,  
qui meritosua conversationis vel eruditionis electi otiosum studium fructuo-  
ſe utilitati regende multitudinis anteponunt, & cum possint Ecclesiæ laboran-  
ti subvenire, operose administrationis laborem fruenda quieris contemplatio-  
ne refagiunt. Laboranti igitur & operas nostras desideranti Ecclesiæ non  
debemus ministerium nostrum denegare, sed freti Dei promissione & au-  
xilio, præmissis seriis ad Jesum precibus oblatam functionem Ecclesiasti-  
cam suscipere. Non enim placet Deo præpostera legitimæ vocationis ex-  
dissidentia profecta reluctatio. Sufficiat nobis Dei, summi Ecclesiæ Pra-  
fatis, consilium & voluntas, non eligentis dignos, sed dignos eligendo fa-  
cientis. Agnoscamus nostram infirmitatem & à Deo queramus & expecte-  
mus sufficientiam, 2. Cor. III. 5. Ne dicas, inquit Dominus ad Jeremiam,  
prophetandi Provinciam deprecantem, puer sum, ad omnia, ad quæmittam  
re, ibi, & universa, quæ præcipiant tibi, loqueris, Jerem. I. 6. Rectè Gregorius  
in Pastorali c. 2. ad eos, qui humilitate pastorale munus refugiunt: Non,  
inquit, est verè humilis, qui suo potius nutu agit, quam ut Dei & vocantis  
Ecclesiæ nutum sequatur. Humilis est, qui divina dispositionis subditus à vito  
obstinationis est alienus.

Hæc præfari visum est in gratiam Per quam Reverendi & Clarissimi Viri,  
Dn. M. PAULI PHILIPPI RÖBERTI, ad D. Jacobi apud Freibergenses Pastoris  
fidelissimi, qui lucem primùm aspergit hic, Wittebergæ Anno 1500  
MDCXXXII, die 22. Julii, familiâ prognatus honoratissimâ Genitorem

equippe habuit (ast eheu, citâ nimis morte Ipsî ereptum!) Dn. D. PAULUM  
RÖBERUM, Theologum famigeratissimum, & de Academiâ & Urbe hac  
haud tantum, aut Saxoniâ, sed de universâ Ecclesiâ Christi amplissimè me-  
ritum, Professorem Publ. primarium, Consistorii Ecclesiastici Assessorem,  
nec non Antistitem Ecclesiæ Wittebergensis & cæterarum Circuli Electo-  
ralis Saxonici Superintendentem Generalem, cujus memoria sit in bene-  
dictione! Matrem, ex singulari DEI benignissimi indultu adhuc supersti-  
tem, piissimæ ac devotissimæ Monicæ instar veneratur, MARIAM, B.  
Dn. PHILIPPI GALLI, SS. Theol. D. & Metropolitanæ Ecclesiæ, qvæ  
Magdeburgi est, Pastoris qvondam meritissimi, Filiam. Ex infantili ætate  
simul atq; excessit, Eum Parentes gravibus antea, iisq; diuturnis morbis  
tentatum, sed per DEI gratiam sanitati restitutum Doctissimis formandum  
tradiderunt Viris. Dn. M. Georgio Volckmaro, Auriacæ in Frisiâ Ecclesiæ  
Pastori, Dn. M. Paulo Röbero, Patrueli, Catharin. Ædis, qvæ Brunsvigæ  
est, Pastori, D. M. Nollio, & Dn. Haberlando, Scholæ Oppidanæ Rectori-  
bus fidelissimis, nā vñ c̄vāyiaſ. Inprimis verò per aliquot annos usus  
Præceptore est Viro de Adolescentum plurimorum studiis præclarè me-  
rito, Dn. M. Jacobo Reichmanno, Facult. Philos. qvondam Adjuncto &  
Scholæ Oppidanæ Con. Rectori, nunc verò Lycei Torgensis Rectori vigi-  
lantissimo. Anno Seculi hujus medio ex consilio Summè Reverendi ac  
Magnifici, Dn. JACOBI WELLERI, Serenissimi ac Potentissimi ELCTO-  
RIS SAXONIÆ &c. &c. &c. Domini & Nutriti nostri Clementissimi Na-  
thanis, Affinis Candidati nostri Parentis loco ab ipso semper habiti (ad  
qvem in primis ab obitu B. Parentis cura rerum suarum transierat) illustre,  
qvod Geræ est, Rutheneum adiit, & Celeberrimi Dn. Mitternachii, Gymna-  
sii illius tunc Rectoris dexterimi, nunc Illustrissimi, Celsissimiq; SAXO-  
NIÆ DUCIS & Postulati ADMINISTRATORIS Naumburgensis &c. &c.  
&c. Domini nostri Clementissimi, Concionatoris Aulici ac Superinten-  
dentis Cizensis, & domo & mensâ exceptus, Illum & cæteros Ejus Colle-  
gas, optimos Juventutis formatores, publicè privatimq; per triennium  
ferè sedulò audivit. Præprimis ex Dn. M. Job. Casparis Zopfii, SS. Theol.  
Baccal. Superintendantis & Phrontisterii istiq Inspectoris utraq; Cathedrâ,  
cum Ecclesiasticâ, tum Scholasticâ, augendæ eruditioni utilissima qvæq;  
hauit. Iactis ita probè in lingvis, qvas vocant, Cardinalibus & disciplinis  
instrumentalibus fundamentis, ductisq; Philosophiæ & Theologiæ primis  
lineis, editis qvoq; aliquot speciminibus (qvæ inter meritò referendus  
Sermo Parentalis, Theologi consummatissimi ac de Ecclesiâ Christi præ-  
clarissimè meriti Dn. D. WILHELMILEISERI, Præceptoris qvondam  
mei



mei fidelissimi B. Memoriæ dicatus & consecratus) Annō cīo Iōc LIII. ipsius  
Calendis Januar. Almae Lipsiensi nomen dedit Candidatus noster & B. D.  
HÜLSEMANNI, Theologi summi, & per universum Christianum Orbem  
celebratissimi convictui sese addixit atq; ad nutū & consilium Ejus studia  
sua instituit. Ac insuper Dn. D. JOH. ADAMI SCHERZERI, hodie  
SS. Theologiae Professoris Primatii & *Doceja* commissus, Illius privatā  
institutione in Sacra Literaturā feliciter usus est, ita tamen, ut  
reliquorum celeberrimorum Dnn. Professorum, B. Dn. D. DANIE-  
LIS HEINRICI, eq; tempore Hospitis sui venerandi, B. Dn. D.  
CARPOVII, Dn. D. GEIERI, t.t. Lingvæ S. & SS. Theologiae in Patria  
Prof. Publ. nunc verò Serenissimi ELECTORIS SAX. à Concionibus Pri-  
mariis, & Constitutis Ecclesiasticis &c. (qvem Deus servet!) B. Dn. D. KRO-  
MEYERI, Dn. FRANCKENSTEINII, & Dn. THOMASHI, (sub eujus  
præsidio etiam de *Mansuetudine* Disputationem habuit) Scholás publicas,  
privatasq; non negligere. Annō cīo Iōc LIV. dulcissimā patriam repetiit,  
& studiis Philosophicis primum operam dedit, usus Præceptoribus, in *O-  
mnib; qvidem & Poësi* B. Dn. BUCHNERO, in Physicis B. Dn. SPER-  
LINGIO (quo Præside quoq; publicè de *Homine* disputavit,) in *Hebreis*  
Dn. SENNERTO, Academiæ hodie Seniore, in *Ethicis & Politicis* Dn. D.  
WENDELERO, in *Logicis & Metaphysicis* Dn. TRENTSCHIO, in *Ma-  
thesi* Dn. D. ÆGID. STRAUCHIO. Annō cīo Iōc LV. d. 26. April. Bra-  
beutā jam dicto B. Dn. SPERLINGIO, celeberrimi nominis Physico, inter  
XXII. Competitores secundo loco positus, summos in Philosophiā hono-  
res adeptus est, Permissu quoq; Amplissimi Ordinis Philosophici, con-  
scriptā prius, atque publico exāmini submissā disputatione Physicā de  
*Morte*, Collegia aliquot Philosophica exercitiū gratiā instituit atq; aperuit.  
Theologico deinceps studio ex voluntate suorum ac proprio quodam na-  
turae impetu se totum mancipavit, ac publicè, privatimq; docentes in hac  
Academiā sedulus & attentus audivit *Kiros Autiodium Reverendos*; Am-  
plissimos lac *Excellētissimos*. B. Dn. D. JOHAN. SCHARFIUM, Socerum  
meum desideratissimum. B. Dn. D. ANDR. KUNADUM, Collegam meum,  
dum vivebat, conjunctissimum, Dn. D. CALOVIMUM. Dn. D. MELISNE-  
RUM; & Dn. D. DEUTSCHMANNUM, omnes SS. Theologiae Professo-  
res Publicos celeberrimos, Dnos Collegas & in Christo Fratres meos ho-  
noratissimos. In meis etiam Prælectionibus, *Lectorum Theologicorum*,  
*Augustana Confessionis*, aliisq; assiduum sese præbuit auditorem. Disputa-  
tiones quoq; Theologicas publicè cum laude habuit atq; defendit, Præsi-  
dibus Dn. D. CALOVIO, de *Fide & Vitâ Hugonis Grotii*, Dn. D. KUNADO,  
de *Incarnatione Filii DEI*, & sub meo Præsidio, de *Passione Christi*. In Au-  
ditio-



ditorio verò Electoralium Alumnorum non minus Respondentis, qvā  
Opponentis munere sèpius defunctus est, ipse Alumnus Electoralis. Cele-  
berrimi deniq; Theologi, Dn. D. CHRISTIANI LANGII, Lipsiensium An-  
tistitis optimè meriti & Prof. Publ. primarii, post fata memoriam Oratione  
Panegyricâ publicè celebravit. Neq; concionandi neglexit Exercitia; Sed  
sèpius in utroq;, Parochiali & Academicō, templo ad populum sermones  
habuit, docendiq; dexteritatē omnibus probavit. Anno c̄lo loc LVIII.  
M. Jun. Candidatus noster solenni *χειροτεσίας* ritu sacris primum initia-  
tus in Electorali Dresdā, DEO sic disponente, & Serenissimo ELECTORE  
SAXON. Domino nostro Clementissimo annuente ad Pastoratum Ecclesiæ  
Ortrantinæ, cui *εφορείας* Hainensis amplissimæ Adjunctura annexa, pro-  
motus est, qvam etiam spartam, sicut sibi divinitus commendatam agno-  
vit, ita fideliter administravit. Elapso quadriennio an. videl. c̄lo loc LXII.  
ipsis Junii Cal. Freibergam evocatus est, munusq; Pastoris in Æde D. Jacobi  
Primarii, cunctis suffragiis Ipsi assignatum est. Qvā in Provincia per annos  
ipso novem id unicè cordi, curæq; ipsi fuit, ut Ordini sacro dignum &  
honorificum se præstaret, fidem omnibus probaret & vitæ probitate &  
sanctitate auditorib⁹ suis præluceret. Qvam ob causam etiam Amplissim⁹  
Senatus Freibergensis Facultati nostræ Theologicæ Dn. M. RÖBERUM de  
meliori non ita pridem commendavit, & ut Licentia assumendi Summos  
in Theologiâ honores, Ipsi conferatur, nō sine adductis rationibus plurib⁹  
petiit. Unde cum ille noster animadverteret, se divinit⁹ ad altiora vocari,  
DEO vocanti, & Superioribus ita volentibus motem gerere in nomine  
JESU, constituit. Cum verò literis illis *συγκλητικῶς* & Ipse petitum suum  
subnechteret, & idem illud, eā qvā patet modestiâ & reverentiâ, primum  
per literas deinde quoq; oretenus efflagitaret, annuit Collegium nostrum  
votis ac petitis Ejus, & potestatem Ipsi dedit, præscripta in statutis nostris  
specimina donum asma edendi. Qvorum initium qvum crastinâ luce, horâ  
IX. DEO clementer annuente, Oratione auspicali facturus, & subsequen-  
tibus diebus Vaticiniū Joélis de *Effusione Spiritus S.* cap. II. 28. 29. Lectione  
Cursoriâ horâ VIII. matutinâ explicaturus sit, Magnif. DN. RECTOREM,  
Perqvam Generosum Dn. Præsidem judicij Electoralis Aulici, Patres item ac  
Cives Academicos ad hunc solennem actum, decenter, officiosè & aman-  
ter non tam meo, qvā totius Collegii nostri nomine invito. DEUM  
misericordissimum insuper intimis suspiriis invoco, ut institutum hoc Ec-  
clesiæ Christi salutare esse jubeat, nostramq; Academiam, cum omnibus  
membris tam Docentium, qvā Discentium salvam, integrum, tranquil-  
lam & florentem qvā diutissimè conservet! Publicatum Wittebergæ,  
sub Sigillo Facultatis Theologicæ, in Festo SS. Trinitatis A.D. MDCLXXI.



QK 26814. XXX

DECA  
COLLEGII THEOLO  
WITTEBE  
JOHANNES  
QVENSTE  
SS. THEOL. DOC  
AC ELECTORALIU  
EPHC  
*LECT*  
SALUTEM IN I

Typis DANIELIS G

Vita

